



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

10. Decretum electionis Ansegisi Archiepiscopi Senonensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-22974**

non potuit, nosque affici mœstitia de vocatione fratris defuncti, ac sollicitudine permoveri de electione successuri, prudentia vestra intellegit. Cùm enim principaliter se futurum Dominus Iesus polliceatur cum his qui principes religionis existunt, non patimur diù carere antistite, cujus doctrina ad salutem nostram instituamur, exemplo informemur, benedictionibus in nomine Domini muniamur. Ejus, utpote bonorum omnium auctoris, nequaquam nos cura desitatos firmissimè credimus, dum ipse curas nostras sua clementia sustulit, & vota ultronea benignitate prævenit. Namque ipse in cujus manu cor Regis est, gloriosi Domini nostri Karoli, quem admodum plenè confidimus, menti infudit ut ejus nos regimini committeret quem in divinis & humanis rebus sui fidissimum multis experimentis probasset. Igitur Dei pronam in nos amplectentes misericordiam, & Regis nostri piam suscipientes providentiam, Aneam, cujus præconia præmissimus, concorditer omnes eligimus, Aneam patrem, Aneam Pontificem habere optamus. Quamvis enim tanta prudentia ac probitate præcellentissimus Rex noster polleat ut solum ejus judicium de viro memorato posset sufficere, tamen conditionis humanæ non nescij, futurorumque curiosi, aulicorum nos ipsi propositum ac mores longè priùs inspeximus, & inter graves probabilisque personas & sanctitate ferventes, hunc quem antistitem habere cupimus, quotquot eum nosse potuimus, ut nunc palam est, absque errore annumeravimus. Proinde, sancti patres, annitimini ne dilatione divini & regij beneficij torqueamur, sed nobis suspensis, nobis desiderantibus, nobis flagitantibus, ponatur celeriter lucerna super candelabrum, ut lumen veritatis populus Dei videat, & amula devotione Præsulis vestigia tenens, sempiternæ beatitudini præparetur. Professionem verò nostri consensus in Aneam Deo annuente per vestrum ministerium nobis futurum antistitem subscriptionibus nostris certatim roboravimus, ut nostra unanimitate comperta, votum summa properantia compleatis.

*Rescriptum Episcoporum ad ipsos.*

IX. Guenilo sanctæ Senonica sedis metropolitanus Episcopus, Heriboldus Autifodori Episcopus, Agius Aurelianorum, Prudentius Tricassinorum, Herimannus Nivernensium, Frotbaldus Carnutum,

Hildegarius Meldorum, clero matris Ecclesiæ Parisiorum & cunctis in diversis cœnobis sub ea Deo militantibus salutem. De excessu reverentissimi cœpiscopi nostri Ercanradi non mediocriter anxij, vestrique mœoris participes, tandem justissimæ dispositionis Dei memores consolationem recipimus, dum vos sub pastore bono agentes, qui summè bonus est, vicarium ejus scilicet visibilem, ministeriisque nostri confortem, absque dilatione expetere vestris litteris tententibus lineas rationis cognovimus. Præparatum enim à Deo ei bonum exitum credimus cujus munere talem videmus patere ingressum, quamquam nobis futurus nunc focus olim fuit præcognitus & merito suæ probitatis amabilis. Quis enim vel leviter tetigit palatium cui labor Aneæ non innotuit, & fervor in divinis rebus non apparuit? Quamobrem electionem vestram in eodam Deo propitio libenter sequimur, ut eum profuturum populo ejus, ad dignitatem pontificatus promovendum, concorditer decernamus. Sit igitur vobis pastor qui pro suis in Deum meritis bene complacuit, & sequentes ejus veracem doctrinam, & sancta opera imitantes, ad cœlestis regni pascua properate felices. Ordinationi autem ejus subscripsimus concorditer universi, ut securi ministerio potestatis ejus fruamini.

*Aliud decretum cleri & plebis Senonensis, de electione Ansegisi Metropolitanæ, qui ex alia provincia petitus est, ad Episcopos provincie Senonicae.*

X. Dominis reverentissimis ac venerabilibus Senonum dioceseos patribus & Episcopis, Senonum Ecclesiæ clerus, cum totis ejusdem parrochiæ plebibus sibi conjunctis, pacem perpetuam & gloriam sempiternam semper & ubique optamus in Domino. Canonicis regulis & apostolicis institutionibus sancitum esse recolimus ut quoties metropolis civitas pontificalis ministerio dignitatis caruerit, proprioque vacaverit pastore, Suffraganei ejusdem metropolis convenire debeant, & electionem futuri Pontificis cum consensu cleri & plebis facere, ac cum decreto electionis singulorum petentium manibus roborato Suffraganeos adire debeant Pontifices, ac de substituendo in loco ejus qui deceffit pastore petitione supplici commonere, quatenus & metropolis civitas pastorali sollicitudine destituta proprio recuperetur Pontifice, & qui ordinandus



ordinandus est, gratiosius possit accedere: quoniam cui debet ab omnibus obedi-  
 re: quoniam cui debet ab omnibus obedi-  
 di, debet utique & ab omnibus eligi;  
 ne civitas Episcopum non optatum aut  
 contemnat aut oderit, aut fiat minus reli-  
 giosa quam convenit cui non licuerit ha-  
 bere quem voluit; hi verò qui ordinaturi  
 sunt, cum in quem viderint omnium vota  
 propensius concordare, promptius ac li-  
 berius illi possint manus imponere. Idcirco  
 cum decreto electionis nostræ manibus  
 singulorum nostrorum roborato ad pater-  
 nitatem vestram accedentes, Ansegisum  
 Presbyterum Remorum dioceseos, Ec-  
 clesie autem Belvacensium, atque Abba-  
 tem monasterij sancti Michaëlis, quem  
 per licentiam vestram, patres venerandi,  
 Domino etiam Christianissimo Rege Ka-  
 rolo annuente, secundum decreta Cele-  
 stini Papæ, ex propria Ecclesia deficiente  
 electione, pari consensu ac concordia, vo-  
 luntate ac devotione elegimus nobis &  
 Ecclesie nostræ Episcopum atque Pon-  
 tificem per manum vestram consecrari  
 implorantes, petimus, rogamus, atque  
 precamur. Eligimus autem cum nobis fore  
 pastorem quem ecclesiasticæ formæ, qua  
 Episcopum ornatum Paulus Apostolus es-  
 se debere demonstrat, congruere & sacris  
 canonibus non obviare Christi cooperante  
 gratia credimus. Actum v. Kalendas Iulij  
 in basilica sancti Stephani protomartyris  
 anno incarnationis dominicæ DCCCLXXI.  
 regni verò Domni Karoli gloriosi Regis  
 XXXI. Indictione IV.

Vide supra  
 pag. 606.

Decreta  
 Celestini c.  
 18.

Abhæ-  
 tio in-  
 rondo:  
 Ex his tribus decretis, primum pro Hedenul-  
 fo, quia novi nihil inerat, communi & recepta  
 formula contextum est; alterum pro Anea, quia  
 res exigebat, totum peculiare; postremum pro  
 Ansegilo ex utraque forma mixtum.

*Epistola cleri & plebis Ecclesie vacantis ad  
 Metropolitanam, ut electum ab ipsis  
 Episcopum consecrare dignetur.*

XI. Domino sanctorumque meritis  
 coæquando patri patrum Domino illi Præ-  
 suli summo cunctus clerus omnisque popu-  
 lus sanctæ illius Ecclesie multimodam in  
 Domino optamus salutem. Igitur quoties  
 aliqua plebs vestræ ditioni subdita à pro-  
 prio fuerit viduata pastore, non aliunde  
 nisi à vobis est implorandum auxilium,  
 quem ad hoc divina præordinavit maje-  
 stas ut non solum vestros specialiter pasca-  
 tis filios, sed etiam rectores non habenti-  
 bus & spiritali pabulo indigentibus pasto-  
 res tribuatis. Quapropter ad vestræ sancti-

Tom. II.

tatis paternitatem fiducialiter nostras fun-  
 dimus preces, poscentes videlicet ut hunc  
 illum summæ honestatis humilem vestrum  
 famulum nobis Pontificem ordinare dig-  
 nemini, cujus conversationem & mores,  
 in quantum cognovimus, laudamus, & ad  
 tam dignum opus idoneum testificamus.  
 Et quandiu à benedictione episcopali im-  
 munes sumus, ejus doctrina & exemplo  
 roborati, ad viam salutis Domino mise-  
 rante, quasi perdita ovis & inventa, redi-  
 turos nos credimus. Quod decretum no-  
 stris manibus roboratum ill. Ecclesie ve-  
 stræ vobis dirigere statuimus anno incar-  
 nationis Domini & episcopatus vestri &  
 Regis illius annis illis, Indictione tali, da-  
 ta tali.

*Epistola Ecclesie Senonicæ ad Hilduinum  
 Archiepiscopum, pro tuenda Metro-  
 politani electione quam fecerant.*

XII. Excellentissimæ venerationis ho-  
 nore dignissimo Hilduino, Domino verè  
 sanctissimo, Senonicæ plebs humillima de-  
 votio æternæ prosperitatis in Domino salu-  
 litem. Quia divina inspirante misericordia  
 fastidiosa importunitatis nostræ clamori-  
 bus, mi Domine, sæpe compati dignati  
 estis, idcirco etiam nunc nimia compulsi  
 necessitate vestræ celsitudinis aures in-  
 quietare præsumimus. Novimus etenim,  
 reverentissime Domine, quomodo priori-  
 bus petitionibus nostris benignè & miseri-  
 corditer adfiscere dignati estis, quomodo  
 etiam, nullis nostris meritis, & quod nun-  
 quam futurum sperabamus, alteram nobis  
 electionem impetrare ac concedere stu-  
 distis. Sed quoniam peccatis nostris, ut  
 credimus, exigentibus, vota & desideria,  
 quibus sanctitatem vestram toties pulsare  
 ausi sumus, plurimum impedita ad effe-  
 ctum pervenire non meruerunt, idcirco &  
 hac vice causas miseriæ nostræ referre  
 compulsi sumus. Fecimus, Domine mi, &  
 nunc secundam electionem, & invenimus  
 hominem ex nostris à puero nobis bene-  
 notum, genere & moribus non infamem,  
 docilem, ætate huic officio congruum,  
 litteratoriæ professionis non usquequaque  
 ignarum, divinæ quoque scientiæ non pe-  
 nitus expertem, quarundam etiam alia-  
 rum artium portionem habentem. Quem  
 cum obtulisset, nullatenus putantes  
 rejiciendum, ipsis Missis dominicis impe-  
 dientibus, quod optavimus non meruimus  
 adipisci. Propterea vestræ pietatis vestigiis  
 animo provoluti flebiliter postulamus ut  
 tandiu rem suspendere dignemini quo-

99